



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.1. Ipsum per se divinum Sacramentum, etiam quanda[m] Christi patientis imaginem præferre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

representet. Ad eum igitur duntaxat modum dicitur divina oblatio transmitti ad altare cœleste, quo ad Deum ascendant piorum preces, sive (uti supra in Apocalypsi dicitur) fumus incensorum de orationibus Sanctorum.

### CAPVT VII.

Eandem passionis Christi memoriam, etiam ad ipsam Eucharistiæ susceptionem, esse adhibendam.

#### §. I.

ipsum per se diuinum Sacramentum, etiam quandam Christi patientis imaginem præferre.

Porrò quod in Missa audienda faciendum diximus; id, & multò maxime in ipsa sacra Dominici corporis communione usurpandum est: ut nimirum absque peculiari passionis Christi memoria non accedamus ad Sacramentum illud; quod mundum relicturus Salvator nobis reliquit, non modò ut pignus amoris, sed etiam ut monumentum doloris sui.

Neque verò tantùm corporis & sanguinis sui oblationem, sed sumptionem etiam frequentari voluit in passionis suæ memoriam: & de sumentibus loquebatur Paulus cùm diceret: *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis; seu commemorabitis.* I. Cor. II.

Deinde sacra Communio, quædam Sacrificij prius oblati participatio est: & si rei naturam institutionemque sequimur, ipsum corpus Christi non aliter aspiciemus aut sumemus, quàm ut victimam, cruento primùm Sacrificio in ara crucis, deinde in sacro altari in cruenta quadam ratione immolatam. Nam & nos de cruce Domini pasчимur (inquit S. Augustinus) quia corpus ipsius manducamus.

T

Igi-

C. Accesserunt, de cons. d. 20



Igitur etiam in hoc Sacramento Christi corpus, veluti corpus Crucifixi accipiendum est. Quo modo ex Ecclesie (præsertim Græcæ) ritu veteri, quando sacra Eucharistia viris in manus, fæminis in mundo linteolo, sumenda tradebatur, usu receptum fuisse scimus, ut manibus in crucis figuram decussatis illam reciperent; memores se in Sacramento Crucifixi corpus accipere, eamque sacram actionem, in ejusdem passionis ac mortis memoriam, usurpandam esse. Videri potest sextæ Synodi Canon 101. ubi præscriptum habes; *ut si quis immaculati corporis in Synaxis tempore esse particeps voluerit, manus in formam crucis figurans, sic accedat & suscipiat gratia communionem.* Et ut alios Patres committam; Damasceni expressum monitum est: *ut, manibus in crucis formam compositis, Crucifixi corpus suscipiamus.*

*l. 4, de fide  
cap. 14,*

Atque etiam in lege veteri, non sine mysterio præceptum fuit; ut Agnus paschalis, qui typus erat Sacramenti Eucharistici, ederetur cum lactucis agrestibus atque amaris; ut scilicet esset indicio, corpus Christi (qui Dei Agnus est, & mundi peccatum tollens victima) non sine amaræ passionis ipsius recordatione manducari debere. Et mysticè monemur in libro Ruth, buccellam nostram in aceto intingere; hoc est panis Eucharistici manducationem, fellis & aceti, quo ille potatus est, reliquorumque cruciatuum quos nostrâ causâ pertulit, meditatione condire. Tandem & Agnum illum legalem, in crucis formam expansum, assari solitum, ex S. Justino discimus: ut vel hinc etiam intelligamus, verum Dei Agnum in mensâ Eucharistica tanquam crucifixum à nobis accipiendum esse.

*lib. contr:  
Tryph.*

Quid, quòd ipsæ etiam sacramentales species, sub quibus Christi corpus & sanguis consecratur & sumitur, Christi passionem non obscurè representare videantur, ejusque speciem & imaginem quandam oculis non prorsus ineruditis ingerere? Quippe cum & panis (Christi autem corpus anima-



animarum nostrarum verè panis est) de grano frumenti non nisi primum variè contuso ac commolito, deinde ex aqua bene subacto, & ad extremum calore ignis concocto conficiatur: in quibus quis non videat expressam tormentorum imaginem, quibus cœlestis ille panis, quò animæ nostræ sapidiior evaderet ac dulcior, multifariam quasi commolitus ac subactus est? Et vinum, (sub cuius specie Christi sanguis proponitur, qui verè potus est) non nisi de botris intorculari calcatis, aut validâ præli contorsione expressis eliquetur & confluat: in quo continuò menti occurrit torcular illud, in quo ipse Christus tot cruciatuum dolorumque pressuris, tanquam conculcatus & compressus est, ut nobis flueret præclarus calix, & vinum lactificans animas nostras.

Quò pertinet quod à Gratiano refertur tanquam ex C. Omnia  
Ambrosio: *Panem quidem istum, quem sumimus in mysterio, de cons. d. 2. e*  
illum utique intelligo panem, qui manu S. Spiritus formatus est in utero Virginis, & igne passionis decoctus in ara crucis. Quæ quidem quemlibet autorem habeant (nec enim inveniuntur in S. Ambrosio) rectè & ad rem nostram appositè dicta sunt. Hisque paria ac plura etiam inveniuntur in S. Petro Chrysologo sermone 61. ubi relatis illis Christi verbis: *Ego sum panis qui de caelo descendi: Ipse est panis (subdit) qui satus in Virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, in fornace coctus sepulchri, illatus altaribus, caelestem cibum quotidie fidelibus subministrat.* Sic ille.

## §. 2.

*Patientis Christi recordatio, in sacra Eucharistia sumptione, quâ ratione usurpanda.*

VTi capite superiori, simili in re faciendum suggestimus; passionis Christi commemoratio, ipsius item Sacramenti susceptioni tripliciter adhibenda est; ante ipsam, in ipsa, post ipsam.

T 2

Præ-